

201. Circa tempus autem, quo anima corpori infunditur, nonnulli docent id fieri in ipso initio generationis, cum germen foecundatur, vel saltem statim ac foetus ad aliqua opera vitae peragenda idoneus sit. At sententiae D. Thomae potiores partes deferendae nobis videntur, qui docet animam intellectivam creari, et corpori infundi in fine generationis<sup>1</sup>; nempe cum corpus ad debitum organismum corporis humani perductum fuerit. Nam « cum anima uniatur corpori ut forma, non unitur, nisi corpori, cuius est proprie actus. Est autem anima actus corporis organici. Non est igitur ante organizationem corporis<sup>2</sup> ». Quapropter, cum anima rationalis sit forma corporis, cum eo non coniungitur, nisi corpus organismum corporis humani iam induerit; id quod in primo generationis instanti profecto non evenit.

## CAPVT IX.

## De animae humanae immortalitate

Iam postremo loco inquirendum nobis est, utrum, corpore dissoluto, anima una cum corpore dissolvatur, an perpetuo in vita perseveret.

## ART. I. Quaedam notiones praemittuntur

202. Quid veniat nomine immortalitatis quisque ex se facile intelligit. Immortale enim illud dicitur, quod *esse* et *vivere*, seu operationes suae naturae consentaneas exercere perpetuo continuat. Porro Deus ita immortalis est, ut ex necessitate suae naturae existat; ac proinde ipsum non esse, et non vivere absolute repugnet<sup>3</sup>. Ex rebus creatis autem aliquid potest esse immortale *per participationem*, et quidem vel *per naturam*, vel *per gratiam*. *Per naturam*, quatenus etsi sit contingens, et proinde a Deo in suo esse pendeat, tamen, facta hypothese suae existitiae, talis

lica Fides constanter praedicat, atque veraciter, quod animae hominum, priusquam suis inspirarentur corporibus, non fuere»; *Epist. XV ad Turribium Asturicensem*, n. 9 et 10.

<sup>1</sup> Cf p. 263. — <sup>2</sup> *Contr. Gent.*, lib. II, c. 89.

<sup>3</sup> Evidens est hoc immortalitatis genus uni Deo convenire, siquidem Deus, cum sit a se, necessitate suae naturae sit oportet. Inde Apostolus de Deo dicit: *Qui solus habet immortalitatem*; I ad *Tim.*, c. 6, v. 16.

est naturae, ut semper esse expostulet; seu non solum nullum in sui natura habet destructionis principium, verum etiam quibusdam naturalibus proprietatibus perpetuam eius conservationem postulantis donatum est. *Per gratiam*, quatenus eius natura perpetuam durationem non postulat, sed ex mera Dei benignitate perenniter conservatur<sup>1</sup>. Immortalitas *per naturam* ad animam humanam pertinet<sup>2</sup>, quae proinde immortalis dicitur tum *intrinsecus*, quatenus nullum sibi corruptionis principium insitum est, tum *extrinsecus*, quatenus a vi externa destrui non potest.

203. Iam animarum immortalitati adversantur non solum veteres recentesque materialistae, qui animam cum corpore interire censent, sed etiam omnes ii, qui animam post hanc vitam conscientiam sui, praeteritarumque affectionum amittere arbitrantur; nam, secundum hanc sententiam, anima neque vitam suam continuaret, neque praemii, aut poenae capax esset. In horum censum veniunt<sup>1</sup> pantheistae, qui animam, dissoluto corpore, Divina substantia absorberi contendunt, ita ut vel ipsam illam individuum existentiam, qua in his terris frui saltem videbatur, prorsus amittat<sup>3</sup>; <sup>2</sup> hodierni propugnatores continui progres-

<sup>1</sup> « In illis, ait s. Thomas, quae sunt incorruptibilia per gratiam, subest possibilitas ad non esse in ipsa natura; quae tamen totaliter reprimatur per gratiam ex virtute Dei » (*Qq. dispp.*, *De Pot.*, q. V, art. 3 ad 9). « Hoc modo, subdit idem sanctus Doctor, homo in statu innocentiae fuisset incorruptibilis, et immortalis... Non enim corpus eius erat dissolubile per aliquem immortalitatis vigorem in eo existentem, sed inerat animae vis quaedam supernaturaliter divinitus data, per quam poterat corpus ab omni corruptione praeservare, quamdiu ipsa Deo subiecta mansisset »; I, q. XCVII, a. 1 c.

<sup>2</sup> Animam humanam *natura*, non autem *gratia*, seu solo libero Divinae voluntatis arbitrio, Divinaeque gratiae munere immortalem esse dicimus. Neque illud quemquam moveat, quod in Sexta Synodo Cnpolitana III approbatæ fuerunt epistolae Sophronii, Patriarchae Hierosolymitani, in quibus tradebatur *intellectualia*, atque *invisibilia*, Angelos scilicet, et animam rationalem, immortalia esse non *per naturam*, sed *per gratiam*. Etenim hae, aliaeque similes loquendi rationes, quae apud PP. occurrunt, non aliud praeserunt, quam immortalem non posse esse animam, nisi libera voluntate Dei crearetur, eamque sortiretur naturam, cui immortalitas necessario conveniret; et proinde significant amovendam esse a natura animae illam immortalitatem, quae solius Dei propria est; siquidem sicuti Deus habet *esse* a se, ita quoque independenter ab alio est immortalis; anima vero sicuti proprium *esse* recepit a Deo, ita quoque ab Eo naturalem suam immortalitatem recepit; eamque cum dependentia ab Ipso retinet.

<sup>3</sup> Incredibilia prorsus videntur, quae his postremis annis, praesertim ab

sus<sup>4</sup>, qui immortalitatem animarum per metempsychosin explicantes contendunt hominem modo sub ista, modo sub illa forma in hac rerum universitate apparere, atque cum moritur, formam, sub qua seipsum in praesentia manifestat, amittere, et post mortem superstitem esse, quatenus novam induit formam<sup>2</sup>.

ART. II. *Animam humanam intrinsece immortalem esse demonstratur*

204. Quoniam immortalitas in continuatione vitae consistit, ut anima humana intrinsece immortalis dici possit, requiritur eam huiusmodi esse naturae, ut 1° a corporis vinculis soluta existentiam perpetuo continuet; 2° ut actiones sibi consentaneas exercere pergat, secus haud proprie vivere diceretur; 3° ut sui conscientiam, et praeteritarum affectionum memoriam retineat, secus, ut iam innuimus, vitam non continuaret, sed potius novam inchoaret, et praemii, aut poenae capax non esset. Iam haec in animam humanam quadrare sequentibus propositionibus a nobis demonstratur:

205. Prop. 1°. *Anima humana est natura sua incorruptibilis, ita ut separata a corpore perpetuo suum esse retineat.*

*Probat.* Anima humana est immaterialis; ergo natura sua est incorruptibilis, ac proinde natura sua corpori post mortem superest. *Consequens* his s. Gregorii Neocaesariensis, sive Auctoris *Disp. De Anima*, verbis demonstratur: « Consequens mihi videtur, ut quod est simplex, etiam sit immortale. Nam omne,

Hegelianis, contra animorum immortalitatem disputata sunt, adlaborantibus, duce Ruge, *Annalium germanorum* scriptoribus. Strauss aperte professus est animorum immortalitatem esse postremum hostem in scientiae speculativae campo profligandum. Eorum omnium una ferme, eademque sententia, quae ex pantheismi principiis fluit, haec est: Unica est omnium, quae sunt, vita, eaque infinita, universalis, divina; homines huius vitae unicae particulam habent; post corporis corruptionem haec particula in vitam universalem illico transfunditur; ex quo fit, ut homines sui conscientiam, rerumque praeteritarum memoriam amittant, hoc est *personalitate* expolientur.

<sup>1</sup> Inter hos praecipue commemorandus est Petrus Leroux, infensissimus Christianae Religionis hostis, *De l'humanité, de son principe et de son avenir*, Paris 1840.

<sup>2</sup> Non alia ratione de animi humani immortalitate alius continui progressus defensor Lamennais sentire videtur, *Esquisse d'une philosophie*, Paris 1841.

quod corrumpitur, dissolvitur; quod dissolvitur, compositum est; compositum multarum est partium... Quamobrem cum simplex sit anima, neque ex pluribus partibus constet, quia nec composita est, neque dissolvi potest, sequitur eam incorruptibilem, et immortalem esse<sup>4</sup> ».

206. Hoc argumentum ex Aquinate nostro ita explicatur: Rei corruptio duplici ratione contingere potest, nempe vel *per se*, vel *per accidens*. Priori corruptionis generi obnoxia sunt ea, quae ex materia, et forma constituuntur; ipsa enim suum esse amittunt, si forma a materia separetur; alteri subiiciuntur omnes formae illae, quae in se non subsistunt, sed quoad sui existentiam a subiecto corruptibili pendent, ita ut illo, cui insunt, dissoluto, et ipsae desinant necesse est<sup>2</sup>. Atqui anima humana eius naturae est, ut neutro modo interire possit; non quidem priori modo, quia est substantia intellectualis: « nulla autem substantia intellectualis est composita ex materia, et forma<sup>3</sup> »; neque altero, quia est « forma, quae habet esse non dependens ab eo, cuius est forma<sup>4</sup> ». Ergo.

207. Confirmatur eadem propositio tum ex operatione, quae intellectio appellatur, tum ex ingenito illo desiderio, quo anima appetit semper esse. Et sane 1° intellectio exeritur eo quod intellectus efficit speciem rei actu intelligibilem, nempe immaterialem, et ideo incorruptibilem, atque intellectus possibilis illam, prout huiusmodi est, in se recipit<sup>5</sup>. Iam *faciens est honorabilis facto*<sup>6</sup>; quocirca si intellectus agens facit actu intelligibilia, quae, *in quantum huiusmodi*, sunt *incorruptibilia*, *multo fortius ipse erit incorruptibilis*, ac proinde et *anima humana*, cuius

<sup>1</sup> In *Maxima Bibliotheca Patrum*, t. III, p. 320, Lugduni 1677.

<sup>2</sup> Cf *Cosmol.*, c. V, art. 5, p. 139.

<sup>3</sup> *Contr. Gent.*, lib. II, c. 55.

<sup>4</sup> *Qq. disp.*, q. un. *De An.*, a. 14 ad 9. Sanctus Doctor (ibid. c.) hac alia ratione argumentatur: *Esse* est aliquid, quod *per se* consequitur formam. Ergo si forma sit subsistens, nempe talis, ut ipsa sit illud, quod habet *esse*, nequit profecto privari *esse*; *esse* enim ab huiusmodi forma separari idem foret, ac formam separari a seipsa, id quod impossibile est. Atqui anima humana est forma subsistens. Ergo non potest desinere *esse*, nempe est incorruptibilis.

<sup>5</sup> Cf *Dynam.*, c. IV, art. 4, p. 133, vol. I.

<sup>6</sup> « Oportet facientem melius aliquid habere ad faciendum, quam est id quod facit »; s. Aug., *De imm. anim.*, c. 8, n. 14.

*lumen est intellectus agens*<sup>1</sup>. Item, « unumquodque, quod recipitur in aliquo, recipitur in eo secundum modum eius, in quo est ». Igitur intellectus possibilis, cum in se recipiat formas rerum, prout sunt incorruptibiles, incorruptibilis sit oportet; ex quo conficitur ipsam animam natura sua incorruptibilem esse, nam intellectus possibilis est aliquid animae<sup>2</sup>.

2° Unumquodque naturaliter suo modo esse desiderat; hinc animantia bruta, cum non percipiunt esse, nisi *hic*, et *nunc*, desiderant quidem esse *nunc*, non vero *semper*, quod non apprehendunt; e contrario, cum anima humana vi suae intelligentiae apprehendat esse *absolute*, et *secundum omne tempus*, naturaliter desiderat esse *perpetuum*. Atqui impossibile est naturae desiderium esse inane. Ergo impossibile est, ut vi suae naturae anima humana ab existentia desistat<sup>3</sup>.

208. Prop. 2°. *Anima humana a corpore separata intelligere, et velle pergit.*

*Probatur* 1° « Operatio cuiuslibet rei est quasi finis eius<sup>4</sup> ». Ergo si anima post corporis fatum est superstes, operationibus sibi consentaneis, quae sunt intelligere, et velle, expoliari nequit.

2° Intellectus, et voluntas sine organis corporeis exercentur. Ergo remanent in anima a corpore separata<sup>5</sup>.

3° Experimento constat animam, quo magis a sensuum impulsione seipsam avocat, eo melius actiones suas intellectuales exercere<sup>6</sup>. Ergo a corporis impedimentis soluta expeditius actiones illas exercebit.

4° « Quamvis eadem sit natura animae ante mortem, et post mortem quantum ad rationem speciei; tamen non est idem modus essendi, et per consequens nec idem modus operandi<sup>7</sup> ». Ergo, « animae, secundum illum modum essendi, quo corpori est unita, competit modus intelligendi per conversionem ad phantasmata corporum, quae in corporeis organis sunt. Cum

<sup>1</sup> *Contr. Gent.*, lib. II, c. 79. — <sup>2</sup> *Ibid.* — <sup>3</sup> *Ibid.*

<sup>4</sup> *Qq. dispp.*, *De Ver.*, q. XIX, a. 1 c. — <sup>5</sup> *Contr. Gent.*, lib. II, c. 81.

<sup>6</sup> « Anima nostra quanto magis a corporalibus abstrahitur, tanto abstractorum intelligibilium fit capacior » (I, q. XII, a. 11 c.). Idem observavit s. Augustinus: « Quis bene se inspiciens, non expertus est tanto se aliquid intellexisse sincerius, quanto removere, atque subducere intentionem mentis a corporis sensibus potuit? » *De imm. anim.*, c. 10, n. 17.

<sup>7</sup> *De Ver.*, loc. cit. ad 5.

autem fuerit a corpore separata, competit ei modus intelligendi per conversionem ad ea, quae sunt intelligibilia simpliciter; sicut et aliis substantiis separatis<sup>1</sup> ».

209. Haec postremi argumenti conclusio, nempe modum, quo anima a corpore separata intelligit, cum illo, qui substantiarum separatarum proprius est, similitudinem habere<sup>2</sup>, sequenti argumento comprobatur. Anima humana, ut saepe diximus, medium locum tenet inter substantias intellectuales, et substantias corporeas; quia « ipsa per intellectum attingit ad substantias intelligibiles, in quantum vero est actus corporis, contingit res corporales ». Atqui « omne medium quanto magis appropinquat uni extremorum, tanto magis recedit ab alio; et quanto magis recedit ab uno, tanto magis alteri appropinquat ». Ergo anima « quando totaliter erit a corpore separata, perfecte assimilabitur substantiis separatis, quantum ad modum intelligendi<sup>3</sup> ».

210. Prop. 3°. *Anima separata a corpore pergit habere conscientiam sui, et praeularum affectionum.*

*Probatur* prima pars. Ab immaterialitate animae, ut in *Dynamologia* diximus<sup>4</sup>, repetendum est quod ipsa conscientiam sui

<sup>1</sup> I, q. LXXXIX, a. 1 c.

<sup>2</sup> Rationem, ob quam anima in sui creatione non ita a Deo instituta est, ut modus intelligendi substantiarum separatarum proprius ei conveniat, explicavit s. Thomas, I, q. cit., a. 4. Cf p. 223, et *Idealog.*, c. I, art. 2, p. 188, vol. I.

<sup>3</sup> Cf *In lib. IV Sent.*, Dist. L, q. I, a. 1 sol., et *Contr. Gent.*, lib. II, c. 81. Quinam autem sit hic intelligendi modus, ab eodem sancto Doctore ita breviter explicatur: « Dicendum, quod anima separata non intelligit per species innatas, nec per species, quas tunc abstrahit, nec solum per species conservatas; sed per species ex influentia Divini Luminis participatas, quarum anima fit particeps, sicut et aliae substantiae separatae, quamvis inferiori modo. Unde tam cito cessante conversione ad corpus, ad superiora convertitur. Nec tamen propter hoc cognitio, vel potentia non est naturalis: quia Deus est auctor non solum influentiae gratuiti luminis, sed etiam naturalis » (I, q. cit. ad 3). Exinde etiam patet munus intellectus agentis, et possibilis, qui, ut paulo ante adnotavimus, remanent in anima separata a corpore, differre ab illo, quod in praesenti vita obeunt. Audiatur idem Aquinas: « Operatio intellectus agentis, et possibilis respicit phantasmata, secundum quod est anima corpori unita; sed cum erit a corpore separata, per intellectum possibilem recipiet species effluentes a substantiis superioribus, et per intellectum agentem habebit virtutem ad intelligendum »; *Qq. dispp.*, q. un. *De An.*, art. 15 ad 9.

<sup>4</sup> Cap. IV, art. 8, p. 143, vol. I. « Reflectere se super se, inquit s. Bo-

habet. Atqui, si ita res est, animae separatae a corpore potiori iure, quam coniunctae cum corpore, cognitio sui tribuenda est. Ergo.

*Probatur* altera pars. Anima praesenti vita affectionum intellectivarum recordatur, quatenus pollet intellectu, in quo species rerum, quas antea intellexit, conservantur, et per quem se supra se convertit, ut actu istas species consideret. Atqui, cum anima a corpore separatur, remanent tum intellectus, tum species intelligibiles antea acquisitae, quia hae, ut diximus <sup>1</sup>, *stabiliter* in intellectu recipiuntur: tum vis convertendi se supra seipsam. Ergo <sup>2</sup>.

ART. III. *Utrum anima ab aliqua causa in nihilum redigi possit*

Hactenus demonstravimus animam humanam eius esse naturae, ut nullum in se habeat destructionis principium. Investigandum modo est, utrum ipsa ab aliqua causa possit suo esse privari, ita ut in nihilum redigatur.

211. Prop. 1<sup>a</sup>. *Nulla causa creata virtutem habet animam in nihilum redigendi.*

*Probatur.* « Quaecumque, aiente s. Thoma, incipiunt esse, et desinunt, per eandem potentiam habent utrumque <sup>3</sup> ». Atqui animae humanae, quippe quae per creationem originem suam habent, ex virtute causae finitae incipere esse non possunt. Ergo <sup>4</sup>.

212. Prop. 2<sup>a</sup>. *Deus, si Eius potentia absolute spectetur, potest animam in nihilum redigere; sed hoc, si Eius potentia cum aliis attributis consideretur, velle non potest <sup>5</sup>.*

naventura, hoc est virtutis cognitivae sublimatae a materia »; *In lib. II Sent.*, Dist. XXV, p. I, a. 1, q. 3 *resol.*

<sup>1</sup> *Dynam.*, cap. cit., art. 11, p. 153.

<sup>2</sup> « Reminisci, cum sit actus per corporeum organum exercitus, non poterit post corpus in anima remanere; nisi reminiscencia aequivoce sumatur pro intelligentia eorum, quae quis prius novit; quam oportet animae separatae adesse etiam eorum, quae novit in vita, cum species intelligibiles in intellectu possibili indelebiter recipiantur »; *Contr. Gent.*, loc. cit.

<sup>3</sup> *Op. cit.*, lib. 2, c. 55.

<sup>4</sup> « In nulla creatura est virtus, quae possit vel de nihilo aliquid facere, vel aliquid in nihilum redigere »; *Qq. disp.*, *De Pot.*, q. V, a. 3 ad 15.

<sup>5</sup> De hac diversa ratione, qua Potentia Dei considerari potest, vid. s. Thomam, *In lib. III Sent.*, Dist. I, q. II, a. 3 *sol.*

*Probatur* 1<sup>a</sup> pars. « Hoc, quod Deus creaturae esse communicat, ex Dei voluntate dependet; nec aliter res in esse conservat, nisi in quantum eis continue influit esse. Sicut ergo antequam res essent, potuit eis non communicare esse, et sic eas non facere; ita postquam iam factae sunt, potest eis non influere esse: et sic esse desinerent; quod est eas in nihilum redigere <sup>1</sup> ».

213. *Probatur* 2<sup>a</sup> pars. Deus ea velle non potest, quae cum suis attributis pugnant. Atqui destructio animae Sapientiae, Bonitati, et Iustitiae Dei adversatur. Ergo.

214. In primis, destructio animae Dei Sapientiae adversatur. Quod ut intelligatur, memoria repetendum est destructionem animae Deo, ut auctor naturae est, attribui non posse. Etenim, ut s. Thomas argumentatur: « Sic Deus unamquamque naturam instituit, ut ei non auferat suam naturalem proprietatem. Rerum autem immaterialium . . . proprietates naturales est earum sempiternitas, quia in eis non est potentia ad non esse, ut supra ostensum est. Unde sicut igni non auferit naturalem inclinationem, qua sursum tendit; ita non auferit rebus praedictis sempiternitatem, ut eas in nihilum redigat <sup>2</sup> ». Quocirca animae destructio praeter ordinem naturalem creaturis inditum eveniret. Iam ea, quae hoc modo fiunt, a Divina Sapientia « ordinantur ad gratiae manifestationem . . . ; redigere autem aliquid in nihilum non pertinet ad gratiae manifestationem, cum magis per hoc Divina Potentia, et Bonitas ordinetur seu ostendatur, quod res in esse conservat <sup>3</sup> ». Destructio igitur animae Dei Sapientiae adversatur.

215. Insuper destructionem animae Sapientiae simul et Bonitati Dei repugnare hoc alio argumento conficitur: Hominum animis inest vehemens perfectae beatitudinis cupiditas, quae, cum necessaria sit, et constans, a Deo auctore naturae ipsis indita est, proindeque inanis esse nequit <sup>4</sup>. Atqui nemo diffitetur nullam hac in vita esse veram, et perfectam felicitatem, quae scilicet expleat omnes animae facultates. Ergo, si Deus animam in nihilum redigeret, ac proinde altera post praesentem vitam non superesset, frustra hunc appetitum ab Ipso singulis hominibus

<sup>1</sup> I, q. CIV, a. 3 c.

<sup>2</sup> *Qq. disp.*, *De Pot.*, q. cit., a. 4 c. — <sup>3</sup> I, q. cit., a. 4 c.

<sup>4</sup> « Beate certe, inquit s. Augustinus, omnes vivere volumus; neque quisquam est in hominum genere, qui non huic sententiae, antequam plene sit emissa, consentiat »; *De morib. Eccl.*, lib. I, c. 3, n. 4.

insitum esse consequeretur, atque Eum admodum crudelem, et homini inimicum fingere deberemus, quia hanc cupiditatem hominum animis inserendo, eos maximopere excruciaret, efficeretque brutis animantibus deteriores, quorum appetitiones hac in vita plenissime satiantur. Iam horum alterum Bonitati, alterum Sapientiae Dei repugnat; nam « contra rationem sapientiae est, ut sit aliquid frustra in operibus sapientis <sup>1</sup> ». Ergo destructio animae cum Divina Sapientia, et Bonitate stare non potest.

216. Haec autem altera vita perpetua sit oportet; tum quia, ut inquit Auctor libri *de Spiritu, et Anima*, « nullum bonum, praeter summum, homini sufficere potest <sup>2</sup> »; tum quia, observante s. Augustino, bonum, quod perfectae beatitudinis cupiditatem explere potest, tale esse debet. « quod (*homo*) non amittat invitus. Quippe nemo potest confidere de tali bono, quod sibi eripi posse sentit, etiamsi retinere id, amplectique voluerit. Quisquis autem de bono, quo fruatur, non confidit, in tanto timore amittendi beatus esse qui potest? <sup>3</sup> »

217. Huic argumento respondet Auctor *Systematis naturae*, homines desiderare vitam corporis, itemque esse divites, etc., nec tamen semper vivunt, nec omnes sunt divites. At reponimus distinguendam esse cupiditatem *primitivam*, et *universalem* a cupiditatibus *secundariis*, et *particularibus*. Illa, cum omnium animis insit, a Deo auctore naturae originem ducit, proindeque non potest non expleri; hae autem illi subiiciuntur <sup>4</sup>; et quoniam ad illam contingenter referuntur, neque in omnibus inveniuntur, neque semper expleri possunt.

218. Quod autem ad iustitiam Dei attinet, certum est neque improbitatem sua poena, neque virtutem suo praemio in praesenti vita affici; nam flagitiosos homines bonis affluere, et probos toto aetatis suae curriculo multis calamitatibus oppressos saepe videmus. Quod cum ita se habeat, ita cum s. Ioanne Chrysostomo argumentamur: « Si Deus est, sicut revera est, Eum iustum esse nemo non fatebitur. Atqui si iustus est, et his, et

<sup>1</sup> *Contr. Gent.*, lib. III, c. 69.

<sup>2</sup> Cap. 14. — <sup>3</sup> *De morib. Eocl.*, lib. I, c. 3, n. 5.

<sup>4</sup> « Omnis homo naturaliter vult beatitudinem. Et ex hac naturali voluntate causantur omnes aliae voluntates, cum quidquid homo vult, velit propter finem »; I, q. LX, a. 2 c.

illis rependet pro meritis, et hoc in confesso est. Quod si et his, et illis rependet pro meritis, hic vero nullus eorum recepit, neque ille improbitatis poenam, neque hic virtutis praemia, perspicuum est restare tempus aliquod, in quo congruens praemium feret <sup>1</sup> ».

219. Contra huius argumenti vim Increduli obiiiciunt peccatum sibi ipsi poenam, et virtutem sibi ipsi praemium esse, nempe per conscientiae stimulos, quibus improbi excruciantur, peccato poenam, et per animi tranquillitatem, qua in exercenda virtute boni fruuntur, debitum ipsi virtuti praemium in praesenti vita retribui.

220. Respondemus: 1° Aut peccatum est sufficiens poena peccati, aut non. Si primum; ergo in hoc mundo iniuste prorsus puniuntur impii, sed relinquendi sunt omnes, ut voluptatibus libere indulgeant suis; quod quam iniquum, et turpe sit, nemo non videt. Sin alterum; ergo aliam, post corporis mortem, admittamus vitam oportet, ne scilicet insignis improbitas sine poena maneat <sup>2</sup>. 2° Neque impii in hac vita scelerum suorum stimulis exagitantur, neque iusti pace fruuntur, nisi quia utriusque certo sciunt esse iudicem, qui in altera vita singulos praemio, vel poena pro merito afficiet. 3° Saepe evenit, ut cum impii iniquitatis fastigium attigerint, non amplius conscientiae stimuli eos mordeant; atque e contrario, ut iusti gravioribus anxietatibus torqueantur. Proderit ergo per pessima quaeque flagitia vitam ducere, cum virtus in iusto sine praemio maneat. 4° Probi homines quandoque, ne sua violent officia, mortem ipsam oppetere debent. Ergo nulla huic praestantissimae illorum virtuti merces rependeretur, si haec dumtaxat esset recte facti conscientia, atque nulla post praesentem vitam animam maneret <sup>3</sup>.

221. Rursus contra vim eiusdem argumenti ex iustitia Dei de-

<sup>1</sup> *De Lazaro*, Concio IV.

<sup>2</sup> Si quis diceret poenam peccati in eo consistere, quod Deus animam in nihil redigat, ita a nobis cum s. Thoma redargueretur: « In culpa voluntas contra Deum agit, non autem natura, quae ordinem sibi a Deo inditum servat; et ideo talis debet esse poena, quae voluntatem affligat, naturae nocendo, qua voluntas abutitur. Si autem creatura omnino in nihilum redigeretur, esset tantum nocumentum naturae, et non afflictio voluntatis »; *Qq. dispp.*, *De Pot.*, q. V, a. 4 ad 6.

<sup>3</sup> Cf *Lact.*, *Div. Inst. Epit.*, lib. III, c. 12.

promptum obicitur, ex ipso probari quidem animam corporis fato superesse, non vero in aeternum esse duraturam. At contra res se habet. Et sane, quod ad praemium spectat, numquam vera forent praemia, nisi huiusmodi sint, ut naturali desiderio perfectae felicitatis satisfiat. Atqui perfecta felicitas non est, nisi aeterna, ut superius probatum est. Ergo.

222. Quod ad poenam attinet, eius aeternitas cum ratione non pugnat, imo consentit. Non pugnat, quia *poena peccato proportionatur secundum acerbitatem*, atque *in nullo iudicio requiritur, ut poena adaequetur culpae secundum durationem*<sup>1</sup>. Cum ratione consentit. Etenim 1° eadem iustitiae ratione poena peccatis infligitur, et bonis actibus praemium tribuitur. Atqui praemium virtutis est beatitudo, quae est aeterna. Ergo et poena, qua impio beatitudo adimitur, aeterna sit oportet<sup>2</sup>.

2° Creatura, quantum ad se pertinet, numquam ordinem, quem graviter peccando perturbavit, reficiendi capax est, quia « semper defectus, quo subtrahitur principium, irreparabilis est . . . ; sicut si corrumpatur principium visivum, non potest fieri visionis reparatio, nisi sola virtute Divina . . . Et ideo, si per peccatum

<sup>1</sup> 1<sup>a</sup> 2<sup>ae</sup>, q. LXXXVII, a. 2 ad 4. Hanc rationem adhibuit s. Augustinus, ubi eos refutavit, qui *iniustum putabant, ut pro peccatis quamlibet magnis, parvo scilicet tempore perpetratis, poena quisque damnetur aeterna*. Quoniam idem, ac illi veteres, Rationalistae, inter quos Reynaud (*Terre et Ciel*, 1<sup>o</sup> ed., p. 371-391), hodie repetunt, praestat haec pauca sancti Doctoris verba proferre: « Damnum, ignominia, exilium, servitus, eum plerumque sic infliguntur, ut nulla venia relaxentur, nonne pro huius vitae modo similia poenis videntur aeternis? Ideo quippe aeterna esse non possunt, quia nec ipsa vita, quae his plectitur, porrigitur in aeternum: et tamen peccata, quae vindicantur longissimi temporis poenis, brevissimo tempore perpetrantur; nec quisquam existit, qui censeret tam cito nocentium fieri tormenta, quam cito factum est vel homicidium, vel adulterium, vel sacrilegium, vel quodlibet aliud scelus, non temporis longitudine, sed iniquitatis, et impietatis magnitudine metiendum. Qui vero pro aliquo grandi crimine morte mulctatur, numquid mora, qua occiditur, quae perbrevis est, eius supplicium leges aestimant, et non quod eum in sempiternum auferunt de societate viventium? Quod est autem de ista civitate mortali homines supplicio primae mortis, hoc est de Civitate illa immortalis homines supplicio secundae mortis auferre. Sicut enim non efficiunt leges huius civitatis, ut in eam quisque revocetur occisus; sic ne illius, ut in vitam revocetur aeternam, secunda morte damnatus; » *De Civ. Dei*, lib. XXI, c. 11.

<sup>2</sup> *Contr. Gent.*, lib. III, c. 144.

corrumpatur principium ordinis, quo voluntas hominis subditur Deo, erit inordinatio, quantum est de se, irreparabilis, etsi reparari possit virtute Divina<sup>1</sup>. Quod cum ita se habeat, ita arguimus: Ideo peccato poena irrogatur, quia ordo per ipsum evertitur; et sicut, *manente causa, manet effectus*, ita quamdiu perturbatio ordinis durat, necesse est, ut etiam poena duret. Atqui perturbatio ordinis ex parte creaturae, uti paulo ante ostendimus, semper durat; ac proinde peccatum est quoddam malum aeternum. Ergo poena interminata erit<sup>2</sup>.

3° « Apud Divinum Iudicium voluntas pro facto computatur: quia sicut homines vident ea, quae exterius aguntur, ita Deus inspicit hominum corda. Qui autem propter aliquod temporale bonum aversus est ab ultimo fine, qui in aeternum possidetur, praeposuit fruitionem temporalem illius boni temporalis, aeternae fruitioni ultimi finis: unde patet quod multo magis voluisset in aeternum illo bono temporali frui. Ergo secundum Divinum Iudicium ita puniri debet, ac si aeternaliter peccasset. Nulli autem dubium est, quin pro aeterno peccato aeterna poena debeat. Debetur igitur ei, qui ab ultimo fine avertitur, poena aeterna<sup>3</sup>. »

4° « Habet quodlibet peccatum contra Deum commissum quamdam infinitatem ex parte Dei, contra quem committitur. Manifestum est enim quod quanto maior persona est, contra quam peccatur, tanto peccatum est gravius; sicut qui dat alapam militi, gravius reputatur, quam si daret rustico, et adhuc multo gravius, si daret Principi, vel Regi. Et sic, cum Deus sit infinite magnus, offensa contra Ipsum commissa est quodammodo infinita; unde et aliquantulum poena infinita ei debetur. Non autem potest esse poena infinita intensive, quia nihil creatum infinitum esse potest. Unde relinquitur, quod peccato mortali debeatur poena infinita duratione<sup>4</sup>. »

<sup>1</sup> 1<sup>a</sup> 2<sup>ae</sup>, q. cit., a. 3 c. — <sup>2</sup> *Ibid.* — <sup>3</sup> *Contr. Gent.*, loc. cit.

<sup>4</sup> *Opusc. III*, c. 183. Aliud pro aeternitate praemiorum, et poenarum argumentum desumi solet ex eo, quod efficacia sanctionis legis moralis illam exigit. Cum enim Deus hominibus leges simul, et libertatem largitus sit, consentaneum fuit, ut eos aptissimis incitamentis, salva tamen eorum libertate, ad legibus obsequendum moveret. Praemia autem, et poenae temporaneae ad id obtinendum inepta sunt; siquidem ista, utpote et adhuc multum remota, et non perpetuo duratura, homines facile por-